



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE EXCELLENTI || DIVINAE GRATIAE NATVRA,|| & iis quę  
ad eam tùm obtinendam tùm conseruandam ||  
requiruntur, de#[que] ipsius admirabili efficacia ||  
DISPVTATIO,|| In inclyta et Catholica Academia ...**

**Valencia, Gregorio de  
Stevartius, Petrus**

**[Ingolstadt], 1576**

Partis Tertiae, Deiis, quæ ad gratiam conseruandam requiruntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46873)

formidinem. Quasi verò uno tantum modo contingeret habere Spiritus sancti testimonium; quando videlicet est tale, ut simul homini penitus innotescat, illud à Spiritu sancto esse. Hoc non ita esse, declarari satis exemplo potest. Si iam Christus ipse hominem aliquem coram alloqueretur, ut quippiam alius vir grauis solet, eumque doceret veritates aliquas; neque tamen ei patefaceret, sese Christum esse: Tunc certè homo ille, etsi infallibiliter vera crederet, utpote Dei testimonium habens, vereri tamen nihilominus posset, ne non vera essent, quæ tunc audiuisset; quoniam non penitus experiatum haberet, testimonium illud fuisse Christi; Sic omnino accidit in proposito.

Rom. 8.

LXXXI. At, palàm dictum est iam à S. Paulo, testimonium illud iustorum, à Spiritu sancto esse. Verum est, sed non dixit, se esse tantum et illis iustis, quorum testimonium est à Spiritu sancto. Vi, si in Scriptura dictum esset, Christum, visibiliter iustos saepe alloquiturum; non propterea illicò iustus, quem coram alloqueretur, Christum ad se venisse certissimo putaret, nisi Christus ipse indicaret, sese esse. Eodem igitur modo; quamvis Scriptura in genere dicat, iustos à Spiritu sancto habere gratia propria testimonium; vereri tamen meritò vnusquisque potest, ne cum putat se in gratia esse, potiùs sit vnus ex illis, quos eadem Scriptura etiam docet, à Spiritu malo decipi. E quorum numero erant illi, qui in se confidebant tanquam iusti; non solum quia superbi, in se confidebant; sed etiam quia se iustos falso estimabant. Verùm de earum, quæ ad gratiam consequendam requiruntur, actionum numero, conditione, libertate, efficacia, fortasse nimis multa.

Luc. 18.

## PARTIS TERTIAE, De iis, quæ ad gratiam conferuandam requiruntur.

### CAPVT PRIMVM,

Quo, duplex perseverantia distinguitur, & quomodo ad perseverandum auxilium gratiæ necessarium sit, ostenditur.

LXXXII.



**T**RANSEAMVS ad ea, quæ ut gratia conferretur, hoc est, ut perseveremus in illa, necessaria sunt. Duobus modis accipiuntur.



quempiam, ad finem usque vitæ, gratiam sibi datam conseruare. Vno, cum paulò ante mortem, illam, vel perditam recuperat, vel nunquam antè habitam, acquirit; eamque conseruat, breui illo temporis spatio, quod exigendum ante mortem restat: Alterò, cum eam, diu ante mortem receptam, absque ullo mortali lapsu conscientie, ad finem usque vitæ perpetuò retinet.

**LXXXIII.** Hanc utramque perseverantiam, donum Dei esse, id est, auxilio gratie niti; Concilij Tridentini Patres non obscure tradiderunt, cum illud Christi; *Qui perseverauerit usque in finem, saluus erit*; de perseverantia munere scriptum esse asserunt. Constat enim, illo loco, utrumque perseverandi modum contineri; siquidem alterutro ex illis, in gratia perseverare satis est, sine controversia, ut quis saluus fiat.

**LXXXIII.** Veruntamen est discrimen, quod ad perseverandum in gratia recepta, aut recuperata paulò ante mortem; doctissimi concedunt, abundè satis esse gratiam ipsam habitualem, in qua quis perseverat, & actualia auxilia, que ad gratiam, vel obtinendam, vel recuperandam necessaria fuerunt. Quandoquidem etiam sine gratia, peccata omnia mortalia, ad breue tempus vitari possunt, ut infra dicemus. Ut verò quis longo tempore ad finem usque vitæ perseveret, actualibus auxiliis, de nouo, ac sapius, collatis iustum indigere; ostendendum est contra Pelagium & Celestinum, aliosque veteres hereticos, qui nullam omninò gratiam ad id requirebant.

**LXXXV.** Occurrit verò Psalmista, primùm, cui non satis fuit dixisse: *Nisi Dominus edificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui edificauerunt eam; illud etiam adiecit; Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Ut nimirum intelligeremus, non ad ineundam modò amicitiam Dei, verum etiam ad illam diu conseruandam, opus esse Dei auxilio. Pertinent enim, ut D. Hilario placet, verba illa, ad iustorum mentes, que vocantur aliàs, domus, ciuitas, & templum Dei. Rectè quoque S. Hieronymus in illa eiusdem Prophetæ verba: *In æternum misericordia edificabitur: Nullum, inquit, tempus est, quo non edificetur misericordia in singulis quibuscumque Sanctorum.*

**LXXXVI.** Ac Salomon quidem, Ecclesiam ablutam iam per gratiam, idcirco, ut Diuus Augustinus exponit, inuicem super dilectum suum, de deserto huius vitæ ad beatorum domicilium ascendere, dicit; quia illius ope sustentatur, ut gratiam conseruet. Cõsentit Hieremias cum ait, neminem excipiens; scio Domine, quòd non est hominis via eius, nec viri est,

Sefs. 6. cao. 13.  
Matt. 10. & 24.

D. Hiero. teste,  
in Dialogis contra  
Pelagium.  
Et D. August. in  
li. de perfectione  
iustitiæ.  
Psal. 126.

Super illum Pl.

Libr. 2. contra  
Pelag.  
Psal. 99.

Cant. 8.  
Libr. de gra. &  
lib. arb. c. 6.

Cap. 10.



Cap. 10.

vt ambulet & dirigat gressus suos. Ac iterum: Timorem meum habeo in cor-  
rum, vt à me non recedant.

Cap. 31.

Libr. de nat. &  
grat. cap. 18.

LXXXVII. Docemur idem omnibus Scriptura locis, quibus perse-  
uerantiam à Deo petendam esse monemur. Nam vt scitè admodum ait Au-  
gustinus; quid stultius? quàm orare, vt possis, quod in potestate habes vt faci-  
as. Eiusmodi verò loci permulti sunt. Pater sancte (inquit Christus Domi-  
nus) serua eos in nomine meo, quos dedisti mihi, nò rogo vt tollas eos de mun-  
do, sed vt serues eos à malo. Ac iterum ad Apostolos; quid dormitis? (inquit)

Ioan. 17.

Matth. 26.  
Sefs. 5.

surgite, & orate, ne intretis in tentationem. Quem locum vrgens S. Hierony-  
mus contra Pelagianos; debuit, inquit, secundum vos dicere, non surgite &  
orate, sed, surgite & resistite, absq; alio auxilio.

Matth. 6.  
Ita exponit D.  
Aug. lib. de cor.  
& grat. ca. 6. &  
D. Cypri. ab eo  
citatus ibidem.  
Col. 1. 2. Cor.  
2. & 13. Eph. 6.

LXXXVIII. Neque verò Apostolos tantum, sed omnes etiam fide-  
les iubet Christus, petere auxilium ad perseverandum, cum docet illos orare,  
ne inducantur in tentationem, hoc est, ne ab ea vincantur. Sed & D. Paulus  
nihil est frequentius, quàm vel pro aliis petere id auxilium, vel eos ad id pe-  
se petendum, hortari, ac rationem reddens necessitatis illius: Habemus, inquit,  
thesaurum hunc in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis DEI, non  
ex nobis.

Sap. 9.

Coelestinus Pa-  
pa. 1. Epistol. 1.  
D. Cyprianus in  
exposit. oratio.  
Dominica. D.  
August. libr. de  
bono perseu. c.  
1. & 13. & libr.  
de correct. & gr.  
c. 6. 7. 22. & lib.  
de prædest. san-  
ctor. capit. 14.

LXXXIX. Videlicet, innumera longo temporis spacio incidunt; qui-  
bus vas hoc sæpè concussum, frangatur demum, & thesauri gratia orbetur,  
nisi diuino auxilio protegatur. Exultat immoderatiùs caro, seruiunt demoni,  
& vehementiùs in iustos, vt quibus ardentius incident, allestat mundici-  
repentini euentus impedimento sunt, ne, quæ ad salutem pertinent, sedulo con-  
siderentur, & affectus ad cœlestia excitetur, quo homo à peccatis retardetur;  
opportunitates peccandi existunt interdum, quibus etiam iustus quodammodo  
præpeditur, ne diuinarum rerum consideratione, peccatorum illecebras excu-  
riat; plerunq; iustus ipse, non satis sibimet notus, sese in laqueum inuenit. Ac-  
cedit plurimarum rerum ignorantia; aggravatur animus corpore, quod car-  
rumpitur, lassatur, deficit, non semper viget.

XC. Pleraque alia videre licet apud S. Patres, ex quibus merito conca-  
dunt, fieri non posse, vt diu iustus in gratia maneat, nisi ab eo diuinis assis-  
tibus frequenter excitetur, cuius est, eum qui stat statnere, vt perseveranter  
stet, & eum, qui cadit restituere: quemadmodum præclare scriptum est in  
Concilio Tridentino.

D. Hieronymus lib. 2. contra Iovin & etiam contra Pelag. D. Gregor. lib. 12. moral.  
cap. 28. D. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 21. D. Chrysof. Hom. 8. in Ioan. D. Bern.  
serm. 3. in Cant. Sefs. 6. cap. 13. can. 22. Idem in Conc. Mileuit. cap. 3. & 4. & Anstic.  
2. cap. 10.



CAPVT SECVNDVM.

Quamuis requiratur gratia ad perseverandum, esse tamen  
in potestate iusti, adiuuante Deo,  
perseuerare.

XC I. Neque verò quenquam eo errore duci oportet, ut, quoniam auxilia gratia ad perseverandum necessaria sunt, in potestate iusti, nullo modo esse perseverare, putet: Est etenim adiuuante Deo, si sibi iustus nō desit, si eiusmodi auxilia, de propria salute sollicitus, piè & instanter à Deo petat, qui nunquā nos ad illa petenda hortaretur, nisi dare vellet, ut ait D. Augustinus. Itaque pulchrè Concilij Tridentini Patres, de hoc differentes: In Dei auxilio, (inquiunt D. Paulum secuti) firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim, nisi ipsi, illius gratia defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.

Serm. 29. de verbis Domini.  
Sess. 6. cap. 13.  
Philipp. 1.

XC II. Quòd igitur aliqui Doctores dicunt, auxilium ad perseverandū, petendum esse à Deo quia non omnibus datur; non idè dicitur, quasi aliquibus non detur, quia Deus quantum est in se, dare illis nolit; Sed quia ipsi sibi desunt, cum vel non petunt, vel non bene petunt, & idcirco non recipiunt, ut ait D. Iacobus. Itaque illo modo loquendi, Doctores illi, tantū admonent, oportere eiusmodi auxilium peti, & rectè peti: Aliò qui enim non conferri.

Iacob. 4.

XC III. Sed dicat aliquis; etiā ad orationem, diuino auxilio indigemus: Siquidem quid oremus sicut oportet, nescimus, & Spiritus adiuuat infirmitatē nostram postulans pro nobis: Oratio igitur non est id, quo mediante in potestate iusti sit, adiuuante Deo, auxilia ad perseverandum obtinere, atq; adeò perseverare. Imò verò est, cum dicat Christus: Orate, ne intretis in tentationem: Neg, verò ad petenda ea auxilia, auxilium aliud prius requiritur. Negant namque Theologi, ad unum aut alterum studiosum actum (qualis est ea petitio) auxilio peculiari esse opus. Quare testimoniū illud Apostoli, ad alias, easq; multiplices orationes referendum est, non ad perseverantia petitionem; quippe quam satis iam sumus edocti à Christo.

Rom. 8.

XC IIII. Postremò, de auxilio ad perseverandum intelligendum est; sicut supra diximus, auxilium, quo quis primò ad conversionem excitatur, duplex esse: specialissimum vnum, cui certissimè homo acquiescit; speciale alterum, cui remitti potest: ita etiam, auxilium ad perseverandum, (Est enim vel illud idem, vel simile, sapius iusto impetratum) vnum est extraordinarium, quo iustus certissimo vitatur: Ordinarium alterum, quod etsi iam per orationem impetratum sit, possit tamen iustus abiicere.

Matth. 6.

XC V. Neque enim omnes prædestinati, qui ex hac vita excesserunt, ita

D 3 adiuti



adiuti sunt à Deo, vt auxilio reniti, atque ita gratiam ante mortem perdes, non potuerint. Quanquam si nomine auxilij ad perseverandum, vel doni perseverantia, intelligamus, non modo invitamenta ad perseverandum, sed etiã actualem Dei motionem & concursum, quo cum iusto gratia acquisita concurrat: perspicuum est, iustum tali auxilio instructum, certò ex hypotesi esse perseveraturum, & consecuturum salutem. Ac ex iis quidem, quae de necessitate auxilij diuini ad perseverandum, variisq; illius acceptionibus hinc viter diximus, varia quoque Patrum de perseverantia sententia, nonnulli aliàs obscura, commodè exponi poterunt; quas, ne simus multi, praterimus.

## PARTIS QUARTAE, De Diuinæ Gratiæ efficacitate.

### CAPVT PRIMVM,

De sanitate, quam naturæ infirmæ, siue corruptæ per peccatum, affert.

XCVI.



Xplicandum restat, quanta sit diuinæ gratiæ vis. Est autem tanta, quantam indicant illius effectus, quos pròinde refert commemorare. Ac primùm de sanitate dicemus, quam naturæ diuinam gratiam asserre, probè intelligebat David, eam sanitatē frequenter petere: Ego iniquus dixi, Domine miserere mei, sana animā meam, quia peccavi tibi. Quibus etiam verbis, causam etiã infirmitatis aperuit, peccatum nempe. Testatur itē Christus Dominus, cum se medicū profiteretur: Non est, inquit, opus valentium medico, sed malè habentibus. Nō veni vocare iustos, sed peccatores. Quae loci inter alia, D. Augustinus pulchrè vrget contra Pelagiū, non agnoscentē naturā humanā infirmitatem aliquam ex peccato. Quis enim fieri potest? dicitur homo hæreticus, vt peccatum quod substantia caret, et nihil est, naturā redderet infirmā? Cui Augustinus accommodato exemplo ita respondet, vt eo vehementius etiam premat. Dubium nō est, inquit, quin non comedere, nulla sit substantia: sed potius recessus à substantia, quæ est cibus, & tamen substantia corporis, si omninò abstineat à cibo: ita languescit, ita viribus extenuatur & frangitur, vt si aliquo modo perduret in vita, vix possit ad eum cibum reuocari, à quo abstinendo vitiata est.

Psal. 40.

Matth. 9.

Lib. de natura  
et gratia c. 19. &  
20.

XCVII. Sic, nō est substantia peccati, sed substantia est Deus, summi substantia, & solus verus creaturæ rationalis cibus; à quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere quod debuit; aucta quædam admodum David dicat: Percussus sum vt scenum, & arui cor meum, quia obedi-

Psal. 101.